



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Disp. XII. De relationibus quæ ex Christi Natiuitate ubter eum & matrem
consequuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

13. orib. fid.
c. 13 in med.

P. p. q. 4.
art. 2. 3. & 4.

Sed contra est, quod sicut Damas. dicit in lib. 3. Ea quæ sunt nature, multiplicantur in Christo, & non ea quæ sunt persona. Sed filiatione maxime pertinet ad personam: est enim proprietas personalis, ut patet ex his, quæ in parte dicta sunt. Ergo in Christo est una tantum filiatione.

Respondetur dicendum, quod circa hoc sunt diuersæ opinionēs. Quidam enim attendentes ad causam filiationis, quæ est natiuitas, ponunt in Christo duas filiationes, sicut & duas natiuitates. Alij verd attendentes ad subiectum filiationis: quod est persona, vel hypostasis filij, ponunt in Christo vnā tantum filiationem, sicut & vnā hypostasim, vel personam. Vnitās enim relationis, vel eius pluralitas, non attenditur secundum terminos, sed secundum causam vel subiectū. Si enim secundum terminos attenditur, oportet quod quilibet homo in se duas filiationes haberet: vnā, quæ referretur ad Patrem, & aliam quæ referretur ad matrem. Sed recte consideranti apparet eadem relatione referri vnumquemque ad suum Patrem, & matrem propter unitatem causæ: eadem enim natiuitate homo nascitur ex Patre, & matre, vnde eadem relatione ad vtrumque refertur. Et eadem relatio est de magistro, qui docet multos discipulos eadem doctrina: & de domina, qui gubernat diuersos subiectos eadem potestate: Si verd sint causæ diuersæ specie differentes, ex consequenti videntur etiam relationes specie differre, vnde nihil prohibet, plures tales relationes eidem inesse: sicut si aliquis est aliquorum magister in Grammatica, & aliorum in Logica, alia est ratio magisterij vtriusque, & idem relationibus diuersis vnus & idem homo potest esse magister, vel diuersorum, vel eorundem secundum diuersas doctrinas. Contingit autem quandoque quod aliquis habet relationem ad plures secundum diuersas causas: eiusdem tamen speciei: sicut cum aliquis est pater diuersorum filiorum secundum diuersos generationis actus: vnde paternitas non potest specie differre, cum actus generationum sint idem specie. Et quia plures formæ eiusdem speciei non possunt simul inesse eidem subiecto: non est possibile quod sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum, generatione naturali. Scius autem esset, si esset pater vnus generatione naturali, & alterius per adoptionem. Manifestum autem est, quod non vna, & eadem natiuitate Christus est natus ex Patre ab æterno, & ex matre ex tempore, nec natiuitas est vnus speciei, vnde quantum ad hoc, oportet dicere in Christo esse diuersas filiationes, vnā temporalem, & aliam æternam. Sed quia subiectum filiationis non est natura, aut pars nature, sed solam persona, vel hypostasis: in Christo autem non est hypostasis, vel persona nisi æterna: non potest in Christo esse aliqua filiatione, nisi quæ sit in hypostasi æterna. Omnis autem relatio, quæ ex tempore de Deo dicitur, non ponit in ipso Deo æterno aliquid secundum rem, sed secundum rationem tantum: sicut in prima parte habitum est. Et ideo filiatione, quæ Christus refertur ad matrem, non potest esse realis relatio: sed solum secundum rationem. Et sic quantum ad aliquid, vtriusque opinio verum dicit: nam si attendamus ad perfectas rationes filiationis, oportet dicere duas filiationes, secundum dualitatem natiuitatum. Si autem attendamus ad subiectum filiationis quod non potest esse nisi suppositum æternum, non potest in Christo esse realiter nisi filiatione æterna. Dicitur tamen relatiue filius ad matrem relatione, quæ cointelligitur relationi maternitatis ad Christum. Sicut etiam Deus dicitur dominus relatione, quæ cointelligitur reali relationi, quæ creatura subijcitur Deo. Et quamuis relatio dominij non sit realis in Deo, dicitur tamen realiter dominus ex reali subiectione creature ad ipsum. Et similiter Christus dicitur realiter filius Virginis matris, ex relatione reali maternitatis ad Christum.

P. p. q. 13.
art. 7.

In cer. art.

Ad primum ergo dicitur, quod natiuitas temporalis causaret in Christo temporalem filiationem realem, si esset ibi subiectum huiusmodi filiationis capax. Quod quidem esse non potest, ipsum enim suppositum æternum non potest esse susceptivum reationis temporalis: ut dictum est. Nec potest dici,

quod sit susceptivum filiationis temporalis ratione humanæ nature, sicut etiam & temporalis natiuitatis: qui oportet naturam humanam aliquammodo esse subiectam filiationi: sicut est aliquammodo subiecta natiuitati: cum enim Aethiops dicitur albus ratione dentis, oportet quod Aethiops dens sit albedinis subiectum. Natura autem humana nullo modo potest esse subiectum filiationis: quia hæc relatio directè respicit personam.

Ad secundum dicendum, quod filiatione æterna non dependet à matre temporali: sed huic filiationi æternæ cointelligitur quidam respectus temporalis dependens à matre, secundum quem Christus dicitur filius matris.

Ad tertium dicendum, quod vnus, & ens est consequentur, ut dicitur in 4. Met. ideo sicut contingit, quod in vno extremorum relatio sit quoddam ens: in alio autem non sit ens, sed ratio tantum (sicut de scibili, & scientia Philosophus dicit in 5. Met.) ita etiam contingit quod ex parte vnus extremi est vna relatio, ex parte autem alterius extremi sunt multe relationes. Sicut in hominibus ex parte parentum inuenitur duplex relatio, vna paternitatis, & aliam maternitatis, quæ sunt specie differentes, propter hoc, quod alia ratione pater, & alia ratione mater est generationis principium. Si vero essent plures eadem ratione principium vnus actionis (puta cum multi simul trahunt nauem) in omnibus esset vna & eadem relatio. Ex parte autem prolis est vna sola filiatione secundum rem: sed duplex secundum rationem, in quantum correspondet vtrique relatione parentum, se undum duos respectus intellectus. Et sic etiam quantum ad aliquid in Christo, est vna tantum filiatione realis, quæ respicit Patrem æternum: est tamen ibi alius respectus, qui respicit matrem temporalem.

Lib. 4 text. 3.
tom. 3.

Lib. 5 Met.
text. 20. & 3.

COMMENTARIUS.

Sententia D. Th. in hoc art. est, duas esse in Christo Domino relationes filiationis, quia natiuitates, quas consequuntur, diuersarum rationum sunt. Negat tamen vtramque esse realem: sed solum æternam quæ refertur ad Patrem: temporalem verd, quæ refertur ad matrem solum dicit esse relationem rationis, quamquam Christus dicatur realiter filius ex relatione matris ad ipsum. Fundamentum eius est, quia filiatione est proprietas personæ, & in illa recipitur, persona autem Christi non est capax relationis nouæ, ac temporalis, est enim persona diuina, cui nullares ex tempore aduenire potest. Respondere posset, filiationem esse in supposito, tamen media natura. Quod tacite refellit D. Th. in sol. ad 1. quia natura humana, inquit, nullo modo potest esse subiectum huius relationis, quia filiatione directè respicit personam. Quod D. Th. amplius non probat, sed ut per se notum assumit, multa quæ alia dicit in articulo, quæ magnas possent excitare quæstiones, dialecticas tamen, ac metaphysicas, ideoque ab huius loci grauitate alienas. Prætermittendæ igitur sunt, & solum de ijs, quæ ad Christum, & matrem eius spectant differendum.

DISPUTATIO XII.

In tres Sectiones distributa.

De relationibus, quæ ex Christi natiuitate inter eam, & matrem consequuntur.



De natiuitate Christi in vtero, an sit, quid sit, & quæ fuerint illius causæ, dum de conceptione eius tractaretur, necessario dicendum fuit, sunt enim hæc duo reipsa inter se coniuncta, ut

ut

vt disputatione difungi non poterint. Solum igitur superest, & ordo etiam doctrinæ postulat, vt de relationibus hanc natiuitatem consequentibus differamus. Cum enim hæc natiuitas (vt diximus) sit ipsa generatio substantialis viuens ex viuente, si quæ sunt inter ipsa relationes, hanc natiuitatem consequi necesse est. Nec verò nunc est vniuersaliter disputandum de his relationibus, quales sint & quæ habeant fundamenta, sed his suppositis, quæ cæteris hominibus communia sunt, dicendum est, quid Christo, & eius matri sit tribuendum.

S E C T I O I.

Verum in B. Virgine sit relatio realis matris ad filium.

Ratio dubitandi esse potest, quia non existente termino, non existit relatio, sed in Christo non est proprius terminus ad relationem matris necessarius: quia relatio matris respicit personam ab ipsa pro creatam, vnde talis relatio necessario requirere videtur in termino personam creatam, persona autem Christi est increata.

Dicendum verò est primò in Beata Virgine esse relationem realem maternitatis. Hanc conclusionem supponit D. Th. hic & à nemine Theologorum (quem ego viderim) in dubium reuocatur. Vnde non posset sine temeritate negari, supponendo hanc relationem in alijs matribus esse realem. Non assero esse de fide, quia licet fides doceat Beatam Virginem verè, ac realiter genuisse, & hoc sensu de fide sit verè ac realiter esse matrem, si quis tamen negaret inde esse consecutam relationem realem, sed appellari realiter matrem tantum à munere generandi, nihil diceret contra dogmata fidei: illis tamen suppositis non consentaneè philosopharetur, quia in Beata Virgine sunt omnia, ex quibus hæc relatio resultare solet. Habuit enim (vt supra ostendimus) in Christi conceptione, & natiuitate eundem concursum, quem aliæ matres in interna, ac substantiali filiorum conceptione, ac generatione habere solent: relatio autem matris ex hoc concursu, seu generatione resultat. Nec potest esse sufficiens terminus ad talem relationem, vbi non deest talis generatio, quia necesse est ipsam generationem ad aliquem terminum per eam productum terminari, idem autem, qui est terminus per generationem productus, est etiam terminus, quem respicit relatio matris: hæc enim est relatio causæ: relatio autem causæ terminatur ad effectum: effectus autem est terminus per actionem productus, ergo de primo ad vltimum, idem est terminus generationis, & relationis maternæ, ergo sicut Christus est sufficiens terminus realis generationis ex matre, ita etiam est sufficiens terminus realis relationis maternitatis, nihil ergo hic deest, vt hæc relatio realis sit.

Dico secundo. Hæc relatio matris in Beata Virgine est eiusdem speciei cum relationibus aliarum matrum. Hæc assertio, licet distinctè etiam non asseratur à Theologis: supponitur tamè, & ex eorum principijs apertè colligitur, quia hæc relatio in Virgine habet fundamentum, & terminum eiusdem rationis. Primum patet, quia Deipara verè genuit Christum Deum hominè, & natiuitas temporalis Christi, est vera natiuitas humana eiusdem rationis cum natiuitate aliorum hominum, vt certa fide constat ex omnibus supra adductis: hæc autem natiuitas, & generatio est proximum fundamentum, seu ratio fundandi hanc relationem. Secundum probatur, scilicet habere terminum eiusdem rationis, quia hic terminus est idem, qui est terminus natiuitatis, sed illa natiuitas habet terminum eiusdem rationis cum nostra, ergo. Et confirmatur, quia Christus, vt ho-

Fr. Suarez, Tom. 2.

Amo, est eiusdem rationis nobiscum, licet supposito differat, relatio autem illa, sicut & natiuitas, terminatur ad Christum, vt hominem. Confirmatur secundò, quia sicut calefactio habet eundem terminum, siue recipiatur in homine, siue in ligno, & in calefaciente eadem relatio consequitur, quia forma inducta, & actio, per quam inducitur, eiusdem actionis est, quamvis subiecto differant, ita dicendum est in præsentia, seruata proportionem. Nam licet suppositum Christi, & nostrum secundum se diuersa sint: tamen quia natura humana, quæ tali supposito coniungitur, est eiusdem rationis, cum nostra, & actio, qua Beata Virgo concurrit, eiusdem etiam rationis existit, ideo etiam relatio eiusdem speciei in ea confurget. Tandem confirmatur, quoniam alias Deipara non esset vniuersè mater cum reliquis, quod est contra mentem Conciliorum, & Sanctorum de hac materia loquentium, quos supra retulimus.

B Obijcies etiam, B. Virgo miraculosè Christum concepit, miraculosè etiam ad humanam eius generationem operata est, ergo est mater miraculosà, ergo relatio matris est supernaturalis proportionata fundamento, quod proximè consequitur. Respondetur cum D. Tho. hic art. 3. Beatam Virginem simpliciter dicendam esse veram, & naturalem matrem Christi, sicut cū eodem D. Th. supra q. 33. ar. 4. explicuimus Christum esse naturalem filium hominis: hæc enim duo correlatiua sunt, relatio ergo matris, vera, ac naturalis relatio est, atq; adeo eiusdem speciei cum reliquis. Ad obiectionem autem responderetur ex eodem D. Th. quamvis conceptio Christi fuerit miraculosà: tum propter vnionem hypostaticam: tum ratione causæ efficientis humanam generationem, præterea ex parte modi, tamen ex parte matris quoad substantiam, & essentiam fuisse conceptionem naturalem (vt rectè dixit Ambr. libr. de Incarn. domin. sacram. c. 5. & 6. & in superioribus satis declaratum est) relatio autem consequitur eam conceptionem, vt est à matre secundum substantiam, & essentiam illius: Vnde fit, licet propriè possit dici, Beatam Virginem miraculosè concepisse (vt D. Th. supra docet) quia conceptio includit modum, & habitudinem ad causam efficientem: non tamen tam propriè dici matrem miraculosam, & supernaturalem, quia mater vocatur à relatione, in qua propriè nihil est supernaturale, quamvis aliqui interdum pie hoc modo loquantur ad explicandam dignitatem, & excellentiam conceptionis, & personæ in illa conceptæ. Bonau. in 3. dist. 4. art. 3. vlt. q. 2. & Rich. art. 2. q. 3. Gab. q. 1. art. 2. Marfil. q. 5. art. dub. 2.

D Ad rationem dubitandi in principio positam responsio facilis est ex dictis. Nam terminus huius relationis est persona Christi non secundum se; sed vt cum humanitate componit hunc hominem: hoc autem modo nihil obstat, quod sicut persona æterna temporaliter genita est, ita etiam sit terminus relationis realis. Dices, Ergo non poterit B. Virgo dici mater Dei, aut Verbi, sed solum Christi, aut huius hominis; quia relatio solum respicit suum terminum, quatenus talis est. Sed neganda est consequentia: quia relatio quæ per se primo, & formaliter respicit aliquem terminum, consequenter & quasi materialiter respicit subiectum remotum, seu suppositum illius termini. Vt licet homo albus sit similis rei albæ, vt sic; tamen etiam dicitur similis Petro, qui est suppositum illius albedinis, quod ferè in omnibus formis, quæ habitudinem dicunt ad aliud, videre licet.

Obiectio.

Responsio.

D. Thom.

Conceptio

Christi in

utero Vir-

ginis, quo-

modo mi-

raculosà,

et quomo-

do natu-

ralis.

Ambr.

Bonauent.

Richar.

Gabr.

Marfil.

Obiectio.

Responsio.

In Virgine relatio realis matris ad filium. D. Thom.

Relatio materna terminaria in Virgine non demonstratur cum relationibus aliarum matrum.

SECTIO XI.

Virum in Christo sit relatio realis, & creata filij ad matrem.

Prima sententia est Christum referri ad matrem relatione reali, sed increata. Ita sentit Henricus, 4. q. 3. fundamentum eius est, quia in vno supposito, vna est relatio eiusdem rationis, sicut in vno patre plures filios generante vna est paternitas. Et confirmari potest, quia filiatio eterna terminat humanam naturam, & inde resultat hic homo, ergo illa eadem relatio, vt terminans talem naturam, refert hunc hominem ad Virginem: & hoc modo propriissime dicitur Virgo mater Dei, seu Verbi. Hanc sententiam videtur amplecti Alex. Alenf. 3. p. qu. 10. m. 3. ad argumenta.

Secunda sententia est, Christum referri ad Virginem sola relatione rationis filiationis temporalis. Ita D. Th. hic, & in 3. dist. 8. art. 5. & ibi latè Capreol. & Sanctus Bonau. art. 2. q. 2. Fundamentum D. Th. iam supra explicatum est, nimirum relationem filiationis respicere personam, quod à Caietano & alijs Thomistis non probatur, nisi ex denominatione, quoniam videlicet humanitas non potest denominari filia: sed solum suppositum, si autem relatio filiationis inhereret immediatè soli naturæ, & composito, vel supposito non nisi ratione naturæ, denominaret illa relatio aliquo modo naturam ipsam. Sed hæc ratio (si nihil amplius addatur) videtur euidenter infirma: simili enim argumento probari posset, natiuitatem humanam Christi non esse realem, aut non inherere in humanitate. Probat, quia non denominat illam naturam, sed solum suppositum, quod ergo ipsi responderint de natiuitate, idem dici poterit de relatione filiationis. Addendum igitur est, vt hæc ratio vim aliquam habeat, ad æquatum subiectum, cui inheret hæc relatio esse totum suppositum, vt constat ex natura, & substantia: Et huius ratio est, quia illud est subiectum huius relationis, quod est ad æquatus terminus, qui nascitur, seu generatur, sed hic terminus est totum ipsum suppositum, quia donec illud perfectum sit, non est consummata generatio, ergo ad æquatus terminus, cui inheret hæc relatio, est ipsum suppositum, ita vt saltem inheret in composito ex natura, & substantia vt sic, & hoc satis est, vt non possit in Christo hæc relatio esse realis, cum inherere non possit in composito ex Verbo, & humana natura. Et hinc potest constitui nonnulla differentia inter natiuitatem, & filiationem. Natiuitas enim est veluti via, quæ quasi præcedit in materia, introducendo formam, & ideo, licet in natura inheret, denominat terminum, ad quem dicit habitudinem, at verò filiatio est veluti proprietas consequens vltimum terminum generationis, ac tantummodo se habet, vt forma inherens, ideoque solum denominat subiectum, cui inheret. Et confirmari potest primò, quia in diuinis relatio filiationis nullo modo est in natura, nec illam denominat, sed est solum proprietas personalis. Secundò, quia propter hanc causam Christus non est capax relationis realis adoptiue. Tertiò, nam si Christus per humanitatem assumptam genuisset, non haberet relationem paternitatis: & si assumpsisset duas naturas, & in eis fuisset genitus à duabus matribus, & per eas genuisset duos filios, non haberet nisi vnicam relationem paternitatis, aut filiationis etiam secundum rationem. Quartò, quia aliàs sequitur, si Christus nunc dimitteret humanitatem, illum hominem fore filium Virginis, quia maneret in humanitate eadem relatio filiationis: consequens autem falsum est, quia Beata Virgo non genuit illum hominem.

Artic. I. vsque ad V.

A Tertia sententia est, esse in Christo relationem filiationis realem, ac temporalem ad matrem. Hæc est communior sententia Theolog. in 3. dist. 8. Richard. art. 2. q. 2. in fine, Scot. q. vnica. Durand. q. 3. quamuis vtatur distinctione non necessaria. Dicit enim, filiationem, vt est proprietas personalis, id est, constitutens personam, tantum esse vnam in Christo, quod est certissimum, quia in Christo tantum est vna relatio substantialis, & subsistens, quæ est personalitas Verbi Dei: at verò de filiatione, vt est tantum forma referens ad aliud, concedit esse duas in Christo filiationes reales. Eandem sententiam tenet Gab. ibi concl. 3. licet in alijs conclusionibus doceat, quomodo loquendum sit postea sententia Nominalium, qui putant has relationes non esse formas reales, & eodem ferè modo procedit Marfil. quæstione 7. artic. 2. Fundamenta, ac rationes huius sententiæ, postea referemus.

Dico igitur primo, Christum Dominum non referri ad Beatam Virginem, nec denominari filium eius per increatam filiationis relationem. Hæc assertio videtur mihi certa, primò quia illa relatio nullo modo conuenit Christo propter generationem eius ex matre, ergo non potest denominare illum filium Virginis, nec ad illam eum referre. Patet consequentio, quia Christus solum dicitur filius Virginis propter humanam generationem: & quæ per illam ipsi cõueniunt. Antecedens verò patet, quia illa relatio conuenit Christo secundum se, propter æternam generationem, eadem verò vt subsistit in humana natura conuenit ratione vniõis hypostaticæ, quæ est actio distincta ab humana generatione.

Secundò, generatio æterna, & temporalis sunt omnino diuersæ rationis, solumque analogicè in ratione generationis conueniunt, ergo & relationes filiationis sunt eodem modo diuersæ, nam relationes accommodantur fundamentis, seu rationibus, ex quibus aliquo modo oriuntur. Vt in eodem homine relatio discipuli, & relatio filij diuersæ sunt, quia & ex diuersis principijs resultant, & diuersos terminos respiciunt: multo autem magis differunt natiuitas æterna, & temporalis, quam generatio, & doctrina, maiorque differentia est inter patrem æternum, & Beatissimam Virginem, vt matrem, quàm inter humanum Patrem, & præceptorem. Neque oportet decipi propter conuenientiam in nomine filiationis, illa enim (vt dixi) est analoga, & non impedit differentiam inter rem creatam, & increatam, explicari que optime potest, si lingamus Spiritus Sancti personam sumplisse carnem ex Virgine, tam propriè enim esset filius Virginis, sicut nunc est Verbum, de illo tamen nec verisimiliter cogitari posset referri ad matrem per increatam relationem processionalis, cum in illam ratio filiationis nequaquam conueniat, idem autem iudicium est de persona Verbi, quia licet eius proprietas sit filiatio, est tamen altioris ordinis.

Tertiò illa relatio conuenit Christo, vt Deus est, seu vt est talis persona prorsus increata: sed sub hac ratione non refertur ad matrem, sed solum in quantum homo est, aliquo modo creatus, seu productus ex matre, ergo illa relatione non refertur ad matrem. Denique respectus realis est aliquid pendens aliquo modo à termino, quem respicit, præsertim quando respectus est temporalis, & terminus creatus, si ergo Christus vt homo habet respectum realem ad Virginem per ipsam relationem æternam: necesse est vt ille respectus sit aliquid reale in ipsa relatione dependens à suo termino, ita vt si B. Virgo non existat, necesse sit Christum illo respectu carere, hoc autem repugnat perfectioni, & immutabilitati increatæ relationis. Quod si dicas illum respectum nihil secundum rem addere: sed solum secundum rationem: iam incidis in secundam opinionem, quia

quia ille respectus erit relatio rationis formaliter diuersæ rationis à relatione æterna, cum diuersum habeat terminum, & fundamentum, etiam si quasi inesse in eodem supposito concipiatur. Si autem dicatur hunc respectum esse realem, & poni posito termino, & auferri illo ablato, & tamen nihil omnino esse præter ipsam relationem inreata, id planè intelligi non potest, quia si nihil est præter relationem æternam, ergo posito tali fundamento, & termino nihil ponitur, nec auferitur, quia relatio æterna, & quicquid est omnino idem formaliter cum ipsa, nec denuo ponitur, nec auferitur, ergo ille respectus, nihil est, quomodo ergo est respectus realis? Quod præterea declaratur, quia alias eodem modo posset dici Deus referri ex tempore ad creaturas respectu reali, sine additione vlla, vel dependentia, quod quia intelligi non potest, merito negant Theologi huiusmodi relationes seu respectus in Deo: & eadem ratione inter homines, cum pater habens vnum filium, alium generat, necesse est, vt vel illi adueniat noua relatio à priori distincta, vel certè, vt præexistens aliquo modo augeatur, seu extendatur, & vt secundum aliquid sui habeat dependentiam à nouo termino, ad quem habet nouam habitudinem, seu respectum.

In Christo relatio realis filiationis ad matrem.
Dico secundò, Probabilius videtur esse in Christo Domino, vt homine, relationem realem filiationis ad matrem eiusdem speciei cum alijs filiationibus humanis. Probatur primo, quia in Christi humanitate potuit inhaerere relatio aliqua realis respiciens Virginem, vt terminum, & causam, & habens pro fundamento actionem, vel passionem, seu generationem, & natiuitatem, hæc autem relatio, quauis humanitati inhaereat, propriè suppositum, seu hunc hominem denominat, ergo non est nisi relatio vera filiationis. Maiorem concedit Caietanus hic veritate conuictus, dum in fine serè totius commentarij dicit, Christum referri ad matrem reali relatione causati ad causam, quam relationem humanitati inhaerere necesse est, vt ipse etiam fatetur. Ratione etiam conuinci potest, quia Beata Virgo est causa realis, à qua humanitas illa aliquo modo effectus est, & illa est subiectum capax relationis, ergo resultat in illa relatio ex vi talis effectiōis. Quod varijs modis explicatur. Nam cum lignum, verbi gratia, sit calidum ab igne, licet illud suppositum non habeat simpliciter suum esse ab igne: nihilominus tamen calor in illo factus respicit ignem, vt effectus causam, ergo similiter quamuis humanitas fiat in Verbo, licet Verbum ipsum non fiat à Virgine, nihilominus in humanitate poterit esse relatio effectus ad causam, cum non minus, quam calor sit capax illius. Alio modo explicatur, si fingamus humanitatem solam, & ab omni supposito, proprio, & alieno separatam fieri, & concipi ex Virgine, vt sic esset capax relationis realis effectus ad causam, ergo, quod nunc fiat in Verbo, non impedit hanc relationem. Denique illa humanitas est capax relationum realium, similitudinis, æqualitatis, & aliarum, quarum fundamenta possunt inesse ipsi humanitati: sed etiam fundamentum huius relationis causati inest (vt ostensum est) humanitati, & non habet aliunde specialem repugnantiam, quia causari commune est naturis, & formis.

Relatio est propriè denominata, quem denominat eius fundamentum.
Minor propositio in primo argumento assumpta, scilicet, relationem hanc propriè denominare hunc hominem, & non naturam, probatur primo. Quia relatio eum propriè denominat, quem denominat eius fundamentum, vt inductione in omnibus relationibus videre licet. Ille enim dicitur pater, qui generare dicitur, & ille similis, vel æqualis, qui quantus, aut albus, vel aliquid huiusmodi. Ratio est, quia cum relatio conueniat alicui medio fundamento, seu ratione illius, necesse est, vt ei conuenire dicatur, cui conuenit fundamentum; fundamen-

tum autem relationis (de qua agimus) non est aliud, quam generatio, vel natiuitas ex Virgine, quia Beata Virgo non habuit alium influxum, vel causalitatem, in qua hæc relatio fundari possit, ergo, quem denominat hoc fundamentum, eundem denominat hæc relatio, sed natiuitas non denominat humanitatem, sed hunc hominem, ergo similiter hæc relatio. Confirmatur, & explicatur supra posito exemplo: Nam cum lignum sit calidum ab igne, sicut quod sit per se est calidum, seu compositum, & non solus calor, ita quod per se primò refertur, vt effectus ad causam, est calidum vt sic, quamuis relatio illi conueniat medio calore, sic ergo intelligi potest in præsentia. Quod in alijs relationibus Christi, quæ non negantur esse reales, videre licet, dicitur enim Christus similis, vel dissimilis, equalis, vel inequalis, quauis hæc relationes in sola humanitate inhaereant.

Obiectiv.
Dices, quamuis hæc relationes denominent suppositum, vel hunc hominem, possunt tamen denominare naturam, vel partes eius, potest enim humanitas dici similis, vel corpus æquale, at vero hæc relatio non potest denominare naturam, nõ enim dicitur propriè causata, seu producta, sed concausata, aut comproducta. Respondetur, hoc ipsum nos intendere, & ex alijs relationibus solum sumimus similitudinem in hoc, quod inhaerendo naturæ possunt denominare personam, quamuis in alio non sit similitudo, id enim prouenit ex diuersitate fundamenti, vt prior ratio supra tacta declarat. Adde, esse in Christo alias proprietates in hoc etiam similes huic relationi. Nam operatio, vel amor inest naturæ, & non propriè denominat operantem, vel amantem, nisi personam, & hinc consequuntur relationes reales operantis, seu amantis, vel amici. Cur enim negabimus has esse reales in Christo, quamuis naturam non denominent, sed personam, quia suis fundamentis accommodantur?

Respons.
Iam verò prima consequentia, & conclusio intentata multipliciter probatur. Primò, quia hæc relatio non est causati ad causam in genere, sed in specie, est ergo relatio geniti ad genitricem, quia non habuit Virgo respectu Christi, vel humanitatis eius aliud causalitatis genus: ergo est relatio filiationis. Primum antecedens videtur per se euident: tum quia illa relatio consequitur ex causalitate, vt in re fit, non fit autem in genere, sed in tali specie: tum etiam quia ex parte Virginis non est alia relatio matris, alia causæ: sed est vna, & eadem nomine generico, vel specifico significata, quia Beata Virgo non est aliter causa quam generando. Secundò, quia in alijs hominum filijs non est duplex relatio, altera in humanitate causati ad causam: altera in supposito filij ad Patrem, sed sicut est vna generatio, qua per se primò fit homo, & cum producitur humanitas ita est vna relatio, quia per se primò refertur hic homo, & (vt ita dicam) correfertur humanitas, ergo illa relatio causati in alijs hominibus est relatio filiationis, ergo & in Christo. Probatur consequentia, quia habet fundamentum proximum, & terminum eiusdem rationis, scilicet generationem humanam, & veram matrem, & ab his sumit relatio suam specificam rationem. Tertiò argumentor explicando amplius rationes factas, & euertendo fundamentum contrariæ sententiæ: quia non magis requirit relatio filiationis, vt inhaereat supposito secundum se, quam hæc relatio causati, ergo ex hoc capite non possunt distingui hæc relationes, & cum ex nullo alio possint (vt probatum est) relinquatur non esse distinctas. Antecedens patet, quia sicut denominatio filij cadit in suppositum, & non in naturam, ita & denominatio propria huius relationis (vt ostensum est) ergo non est maior ratio, cur vna harum relationum inhaereat supposito secundum se, quam altera. Et idem argumentum sumi potest ab operationibus, alijsque proprietatibus, vel rela-

tiuis, vel absolutis, quæ licent denominent solum suppositum, non potest inde colligi necesse esse, ut illi inhæreant. Et idem argumentum fieri potest de ipsa natiuitate. Neque solutio, aut differentia supra indicata satisfacit, scilicet quod generatio sit veluti via, & relatio veluti proprietates consequens: Tum quia hoc nihil refert, quia operatio est etiam proprietates totius suppositi iam constituti: & nihilominus denominant suppositum, & non naturam, licet huic inhæreat, quia est ab illo tanquam adæquato, & integro principio. Tum etiam quia relatio accommodatur fundamento in denominando.

Quartò, argumentor explicando rationem à priori, quia actio, seu causalitas matris non versatur per se circa subsistentiam filij causandam, vel efficiendam, sed solum circa vnionem formæ, cum materia medijs dispositionibus, quæ causalitas tam integra, & perfecta fuit in Beata Virgine, sicut in aliis matribus, eiusdemque rationis, & ad illam nihil prorsus refert, quod subsistentia filij sit creata, vel increata, & hac ratione relatio matris in Virgine est realis, perfecta, & eiusdem rationis cum alijs, ergo eadem ratione ex parte filij ad realem relationem filiationis impertinens est subsistentiam esse creatam, vel increatam, dummodo subsistens in hac humanitate verè sit productus à matre per supra dictum causalitatis modum. Primum antecedens ita declaro, nam in humana generatione cuiusvis hominis supponitur materia subsistens, & similiter anima prius natura creatur subsistens, tota autem actio, seu causalitas matris versatur circa materiam ministrandam, vel disponendam, & formæ coniungendam, qua vnione facta necessario cõsequitur, ut adæquatus terminus illius sit res subsistens: ergo ad hanc matris causalitatem non refert, quod materia, & forma supponantur prius natura subsistentes, subsistentia propria magis, quam aliena, aut creata potius, quam increata. Eodemque modo erit productus à matre talis filius, siue hac subsistentia subsistat, siue illa, ergo eadem similiter relatione ad matrem referetur, quia relatio in effectu consequitur ex causalitate, vel actione, secundum id, quod per se, ac formaliter ex vi illius fit: non verò secundum id, quod aliunde supponitur. Sicut eadem relatio calidi sequitur ex actione ignis, siue fiat circa lignum, siue circa aquam, vel aliquid aliud.

Quintò, relatio matris in Virgine est realis, & per eam refertur ad Christum, ut à se causatum, ergo relatio causati, quæ respondet in Christo, est relatio filiationis. Patet consequentia: tum quia huic relationi matris nulla alia relatio respondere potest: tum etiã quia per illud idem potest Christus in se suscipere relationem filij ad matrem, per quod terminat relationem matris ad ipsum. Nam in his relationibus mutuis, vel formalis terminus vnus est alia relatio (ut aliqui volunt), atque ita necesse est, utramque esse realem, quia non potest relatio esse sine suo formali termino, vel certè, si formalis terminus est aliquid absolutum, illud est proximum subiectum, seu fundamentum oppositæ relationis, ut in relatione similitudinis in albedine formalis terminus vnus, si non est alia similitudo, saltem est albedo, in qua alia similitudo fundatur. Ostensum autem est terminum formalem relationis matris esse humanitatẽ, quatenus est terminus etiam formalis generationis ex matre, ergo illa etiam erit sufficiens subiectum, seu ratio recipiendi relationem filij ad matrem. Sextam rationem ex reali denominatione filij sumptam addemus soluendo argumenta.

Dico tertio, quamuis in Christo sit duplex relatio realis filiationis, non tamen est duo filij, sed vnus tantum. Probatur facile, quia ad multiplicationem illius concreti (siue adiectiue, siue substantiue sumatur) non sufficit multiplicatio formæ, sine suppositorum multitudine: qua de causa licet in Christo

sint multæ operationes, vel natiuitates, vel artes, aut scientiæ, non est plures operantes, & c. sed vnus operans, vnus natus, vnus artifex, vnus sciens, sic ergo in proposito.

Superest, ut secundæ opinionis argumentis satisfaciamus; nam de prima nihil noui est, quod dicamus. Igitur ad præcipuum fundamentum rectè ibi dictum est, integrum & completum subiectum, quod relatio denominat, esse suppositum, quod generatur, non tamen necessarium esse, ut relatio illi adæquate, ac per se primò inhæreat, sicut de natiuitate, & operationibus dicendum est. Nec differentia ibi posita satisfacit, ut probando conclusionem ostendimus. Vnde ad probationem, scilicet illud esse subiectum filiationis, quod est terminus adæquatus generationis, respondetur, esse quidem subiectum denominationis, non tamen inhæSIONIS. Nam sicut illud suppositum, seu cõpositum est terminus adæquatus generationis, quauis tota generatio formaliter veretur circa naturam, illiq; inhæreat, ita hæc relatio filiationis potest denominare idem suppositum, quamuis in sit soli humanitati.

Sed vrgebis, quia alij homines geniti plus habent à suis matribus, quam Christus à Virgine, habent enim ab illis humanitatem, & si subsistentiam, atque addèd ipsam suppositum: Christus autem à Virgine tantum habuit humanitatem, ergo aliam relationem causati vel producti habent alij filij ad matres, quam Christus ad Virginem. Hoc ductus argumentum dicere solebam, relationẽ filij ad matrem in Christo, & alijs hominibus esse quidem eiusdem speciei, ut probatum est, in Christo tamen non esse ita completam, vel (ut sic dicam) ita extensam sicut in reliquis hominibus. Ut, si intelligeremus ignem producere in vno subiecto calore ut octo cum suo intrinseco termino, in alio verò minore calore, seu absque tali termino, consequenter diceremus relationem effectus in vtroque calido esse eiusdem rationis: tamen in vno esse magis completam, & perfectam, quam in alio. Iuxta quam doctrinam dicendum vltius erat, in alijs hominibus filiationem, secundum suum esse completum, inhærere in toto supposito, ut constet ex humanitate, & subsistentia: in Christo verò inhærere tantum in humanitate. Quia alij filij generantur à matribus tam secundum naturam, quam secundum subsistentiam, quæ denuo fit ex vi talis generationis: Christus autem solum habuit à matre humanitatem, secundum quam ab illa genitus est, quod formaliter, & essentialiter sufficit ad rationem filiationis. Quia formalis ratio talis generationis non sumitur ex subsistentia: sed ex natura. Nam sicut Christus est homo eiusdem rationis, & speciei nobiscum, quia ratio hominis sumitur à natura, non à persona, ita generatio, & relatio eius est eiusdem rationis, quia per se, & formaliter terminatur ad hominem ratione humanitatis, non ratione subsistentiæ. Hæc doctrina probabilis est: nunc verò non admodum placet, ex ea enim sequitur relationem matris non esse in Beata Virgine tam completam, & integram, sicut est in alijs matribus. Deinde, quia (si res attente consideretur) nihil minus habet Christus à matre, quam quilibet alius filius. Subsistentia enim creata, quæ est in alijs filiis, secundum se non fit à matre, sed partim in anima, & materia supponitur, facta autem vnione formæ cum materia absque noua matris causalitate, resultat integra subsistentia totius, constans ex partialibus subsistentiis partium, ita ut impossibile sit illam impedire, suppositis in corpore & anima propriis partialibus subsistentiis. Simili autem modo in generatione Christi ex Virgine, ordine naturæ supponuntur anima, & corpus vnita Verbo, & subsistentia in illo, & hæc inter se per generationem vniantur: qua vnione facta, absque alia matris causalitate necessario sequitur, ut tota humanitas illa

Responso ad argumenta in oppositum.

Obiectio.

D. Thom.

Responso.

Relatio filiationis in Christo, & matre nita

ris in Virgi

ne aque cõ-

pleta, ac

perfecta,

sicut inter

alios homi-

nes.

Obi.

substantia subsistat, atque adeo, ut hic homo sic subsistens productus sit: tantam ergo causalitatem habet Beata Virgo ad productionem huius hominis, sicut alia matres, nec plus habent alij filij à matribus, quam Christus à Virgine, ergo relatio filiationis in Christo, & matris in Virgine æquè completa, ac perfecta sunt, sicut inter alios homines. Ad instantiam ergo factam negatur assumptum, est enim falsum, ut planè constat ex dictis.

Filiationis
diuina, &
creata in
Christo dif-
ferentia.

Ad confirmationes eiusdem opinionis. Ad primam de filiatione diuina negatur similitudo, quia illa est relatio per se subsistens, constituens personam in ratione personæ, & ideo non potest recipi in natura, sed terminare illam: hæc vero relatio supponit personam constitutam, & inhæret media natura. Est etiam aliud discrimen: quia in diuinis Filius non distinguitur natura à Patre, sed sola relatione, quare necesse est, ut per se constituat personam, & non inhæreat ratione naturæ: at vero hæc relationes creatæ supponunt personas matris, & filij constitutas in proprijs naturis, per quas possunt illis inhære.

Ad secundam confirmationem de filiatione adoptiuâ, respondetur, in Christo, ut sanctificato per gratiam creatam, esse quidem relationem realem ad Deum, ut sanctificantem, illam verò non esse filiationem adoptiuam, non propter illud principium, quod filio debeat inhære supposito, sed quia illa relatio in Christo non sequitur ex adoptione, sed ex gratia connaturali, ut supra q. 23. latius dictum est.

Ad tertiam confirmationem respondetur omnia esse falsa quæ assumuntur, & potius retorqueri posse argumentum. Nam si Christus per humanitatem generaret filium, resisteret verè in eo relatio realis paternitatis, quia sicut actio, ita & relatio ex illa resultans conuenit supposito, medio principio agendi quod est forma, seu natura. Et eadem ratione, si Verbum assumeret plures naturas, plures haberet relationes filiationis, & si per eas generaret, haberet plures relationes paternitatis. Ac denique si fingeremus humanitatem B. Virginis esse vnitam hypostatice Deo, & genuisse Christum, sicut modo genuit, non minus haberet relationem realem matris, quàm modo habet, & in eo casu magis ostenditur efficacia cuiusdam vulgaris argumenti in hac materia, sumpti ex denominatione reali filij, & matris. Nam quia Christus verè, & realiter est filius Virginis, videtur rectè colligi, habere relationem realem. Respondere autem solet cum D. Thoma hic, Christum dici realiter filium Virginis ex relatione reali matris ad ipsum. Hæc verò responsio non haberet locum in casu posito, quia non magis esset Virgo capax relationis realis maternitatis, quam Christus filiationis: vel certè, si Beata Virgo, quamuis esset persona increata, esset capax relationis realis maternitatis, non est, cur negemus Christum esse capacem relationis realis filiationis. Nisi fortè quis dicat, in eo casu posse realiter dici matrem, aut filium propter originem non vero propter relationem: Sed si hoc licet gratis dicere, pari ratione posset aliquis negare omnem relationem realem inter matrem & filium, dicendo ita denominari ab origine, non à relatione.

D. Thom.

Ad quartam confirmationem, concedo, si Verbum dimitteret humanitatem, permanfuram in illo homine, seu in humanitate illa subsistente in proprio supposito eandem relationem filiationis, quam nunc habet, ut rectè videtur probare argumentum factum, quia manet subiectum, fundamentum, & terminus: ergo non est, quod corrumpatur relatio. Ex quo vltius sequitur illum hominem esse filium Virginis, quandoquidem habet in natura humana relationem realem filiationis ad ipsam. Addit verò Gabr. in 3. dist. 4. quæst. vñica, artic. 3. dub. 2. illum non esse eundem filium Virginis, qui antea

erat, vnde concedit consequenter posse Virginem habere duos filios ex vi eiusdem generationis, & alia similia infert non minus impropria, & falsa, quam fundamentum, vnde colliguntur. Dico ergo vltius, illum hominem in eo casu non solum fore filium Virginis, sed eundem filium. Quia habet eandem numero filiationem, & in eadem numero naturam, & ex vi eiusdem generationis: nec obstat, quod suppositum sit diuersum, quia (ut supra dixi) etiam si duæ personæ eandem humanitatem assumant, essent vnus homo: ergo in eo casu esset idem homo, licet esset diuersum suppositum, ergo pari ratione esset idem filius. Quapropter non consequenter loquuntur nonnulli recentiores Thomistæ, qui negant, in eo casu posse illum hominem dici filium Virginis, cum alias cum D. Thoma fateantur esse vnum & eundem hominem, si sit vna & eadem natura, quamuis supposita sint diuersa. Neque enim refert, quod simul, aut successiuè eadem humanitas in vno, vel diuersis suppositis subsistat: quandoquidem sola vnitas naturæ ad hanc vnitatem sufficere censetur, sicut pater à simili, nam quemadmodum est vnus artifex, qui simul habet plures artes, ita etiam qui successiuè.

Sed instabis, ergo si Verbum diuinum nunc dimitteret humanitatem, ut subsisteret non in proprio, & creato supposito, sed in persona Patris, Pater esset filius Virginis, quia esset idem homo & in humanitate haberet eandem relationem filiationis, consequens est falsum, diximus enim supra, quod si humanitas Christi prius in proprio supposito extitisset, licet postea assumpta esset à Verbo, Verbum non esset filius Virginis. Respondetur negando simpliciter consequentiam: concedi quidem posset hunc hominem formaliter, quatenus hic homo est, esse filium Virginis, quia hic homo solum dicit subsistere in hac humana natura, & hoc verè fuit genitum ex Virgine, quamuis hoc suppositum, seu hoc subsistens non fuerit ab illa genitum, & ideo non sequitur Patrem fuisse genitum ex Virgine, quia Patrem iam dicit definitè, & quasi materialiter hoc suppositum, quod nec terminauit generationem ex Virgine, nec est de ratione huius hominis ut sic. Et ratio à priori est, quia quæ hic homo facit, vel patitur, non dicuntur de Patre, aut Verbo, nisi per communicationem

Obiectio.

Responsio.

idiomatium: hæc autem communicatio non est nisi ratione vnionis: & ideo solum habet locum in ijs, quæ antecedunt. Vnde etiam si Deus assumeret humanitatem hominis peccatoris, non diceretur Deus peccasse, eo quod suppositum proprium illius humanitatis prius per illa peccasset, & similiter si Verbum nunc dimitteret humanitatem, & Pater eam assumeret, non diceretur Pater redemisse homines, neque mortuus pro illis. Eadem ergo ratione non diceretur filius Virginis, quia hæc denominatio dicit ordinem ad præteritam actionem, seu passionem, quæ nullo modo facta fuit in persona Patris. Nec est omnino eadem ratio, si humanitas dimissa à Verbo in propria persona subsistere incipiat: duplex enim differentia intercedit. Prima, quia quando natura creata subsistit in proprio supposito, non potest hoc suppositum condistingui ab ipsa natura, & ideo non aliter possumus loqui de hoc supposito, quàm de hoc homine formaliter, ac propterea simpliciter dicimus hunc hominem esse genitum, vel esse filium Virginis: at verò quando natura assumitur ab alia persona, suppositum illud secundum se condistinguitur à natura & ideo non fit communicatio idiomatium talis naturæ sub nominibus proprijs illius suppositi, vel propriæ naturæ eius, nisi supposita vnione eiusdem cum alia natura. Secunda differentia est, quia subsistens propria cōuenit naturæ ab intrinseco, & ideo, quāuis à principio fuerit diuinitus impedita, si postea suæ naturæ relinquatur, censetur habere

bere eam subsistentiam ex vi illius actionis, & productionis, qua incepit esse, & ideo totum id potest tribui, & referri in causam propriam, & principium illius naturæ. At verò subsistentia alterius personæ nullum habet fundamentum in natura, neque in actione, qua recepit esse, & ideo, si illa persona non terminavit talem naturam in ipso generationis instanti, nulla ratione potest genita, vel filius denominari.

SECTIO III.

Verum perseverent nunc in Christo, & Virgine relationes matris, & filij.

Ratio dubitandi esse potest, nam in Christi morte extincta utraque relatio est. Quia sicut post illam mortem non mansit hic homo, ut sic, neque humanitas, ita neque relatio filiationis, neque filius Virginis, ut sic: ablato autem vno extremo, necesse est tolli relationem in alio, sed resurgente Christo non videntur ex natura rei posse redire tales relationes, quia iam non habebat Christus esse hominis, ex vi maternæ generationis, illa enim causalitas iam habuit suum effectum, qui postea destructus est, & deinde per aliam actionem redit idem secundum rem: non tamen formaliter ut terminus, vel effectus prioris actionis, relatio autem filiationis fundari videtur in huiusmodi esse, ut causato per maternum concursum, seu operationem, ergo per resurrectionem non redijt talis relatio, sicut nec fundamentum eius quod fuit generatio. Et confirmatur, quoniam alias fieri non posset, quin inter personas, quarum una semel aliam generavit, esset relatio realis, etiam si postea sepius esse desinerent, & aliis modis iterum producerentur.

Respondetur quæstionem hanc communem videri omnibus alijs filijs, & matribus, quia nihil potest hic dici factum ex speciali miraculo, sed natura rei attendenda est, quia relatio habet talem modum existendi, & incipiendi, ut politis fundamento, & termino, necessario omnino resultet, illis autem non politis, fieri non potest relatio etiam de potentia absoluta: totum autem fundamentum harum relationum est, quod Christus homo semel fuit genitus ex Virgine, si ergo hoc fundamentum sufficiens est, ut illæ relationes non solum durent durante illo esse hominis, sed etiam ut iterum, atque iterum pullulent, etiam si illud esse hominis interruptum sit (ut ita dicam) si postea alia via sit instauratum: si hoc, inquam, sufficit in Christo, & Virgine, sufficit in omni alia filiatione, & maternitate. Si autem in alijs non sufficit, nec in Christo sufficit, & consequenter nec miraculosè potuissent tales relationes redire, quia fierent sine sufficienti fundamento, quod illis repugnat.

Videtur autem verisimile, illud fundamentum satis esse, ut hæ relationes semper resultent. Quia semper est verum dicere hunc hominem fuisse genitum ab illa muliere: ex hoc autem intrinsecè sequuntur dictæ relationes. Item quia si Christus, & Beata Virgo nunquam fuissent mortui, sed translari ad gloriam, non esset dubium, quin in eis perseverarent dictæ relationes: solum quia semel Virgo genuit Christum: Sed hoc æquè verum est, etiam si extrema inter quæ versantur illæ relationes interdum defuerint, & postea redierint, sicut duæ albedines, quæ nunc sunt similes, retinent eandem numero relationes similitudinis, siue perpetuò durent, siue aliquando corrumpantur, & iterum producantur. Vnde non est, cur dicamus de ratione filiationis esse, ut subiectum eius proxima, seu vltima productio habuerit esse per generationem ex matre, sed satis est, quod aliquando traxerit originem ex matre: & ita, sicut res facta, seu præterita, non potest iam non

A fuisse facta, seu præterijisse, ita non est inconueniens, ut relatio filiationis semel habita, amitti non possit, existentibus eius subiecto, & termino. Quod tandem ex modo loquendi confirmatur: Quia ita nunc absolūtè loquimur de Christo, & Virgine, matrem, & filium eos appellando, prout nunc sunt in statu gloriæ. Quo circa addendum est vltimè (quidquid sit de metaphysica quæstione relationum) quod attinet ad matris dignitatem morali modo consideratam, certissimum esse, eam perseverare in Deipara: imo nunquam fuisse imminutam etiam in tri-duo mortis Christi: quia licet tunc non esset hic homo, quem B. Virgo genuerat, verè tamen erat ille, quem genuit Virgo habens unitas sibi partes illius humanitatis, quas ex Virgine accepit, quod satis est ad hanc matris dignitatem conservandam, quæ (ut supra dixi) magis moraliter, quam physicè explicanda est.

ARTICVLVS VI.

Verum Christus fuerit natus sine dolore matris.



Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod Christus non fuerit natus sine dolore matris. Sicut enim mors hominum subsecuta est ex peccato primorum parentum (secundum illud Genes. 2. Quicumque die comederis ex eo, morte morieris) ita etiam dolor partus, secundum illud Genes. 3. In dolore paries filios. Sed Christus mortem subire voluit, ergo videtur, quod pari ratione eius partus esse debuerit cum dolore.

2. Præterea Finis proportionatur principio. Sed finis visus Christi fuit cum dolore, secundum illud Isai. 53. Verè dolores nostros ipse tulit. Ergo videtur, quod etiam in sua natiuitate fuerit dolor partus.

3. Præterea, in libr. de ortu Saluatoris narratur, quod ad Christi natiuitatem obsterperes occurrerunt, quæ videntur esse necessaria parienti propter dolorem: ergo videtur, quod B. Virgo peperit cum dolore.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in sermone de Natiuitate, alloquens Virginem matrem. Nec in conceptione, inquit, inuenta es sine pudore, nec in partu inuenta es cum dolore.

Respondetur dicendum, quod dolor parientis causatur ex aperture meatuum, per quos proles egreditur. Dicitur autem supra, quod Christus est egressus ex clauso utero matris: & sic nulla violentia aperture meatuum ibi fuit, & propter hoc in illo partu nullus fuit dolor, sicut nec aliqua corruptio. Sed si ibi maxima iucunditas, ex hoc, quod homo Deus est natus in mundum secundum illud Isai. 35. Germinans germinabit sicut lilium, & exultabit latibunda, & laudans.

Ad primum ergo dicendum, quod dolor partus consequitur in muliere commixtionem virilem: vnde Ge. 3. postquam dictum est, in dolore paries, sequitur, & sub viri potestate eris. Sed sicut dicit Aug. in serm. de Assumpt. B. Virginis, ab hac sententia excipitur Virgo mater Dei, quæ quia sine peccati collusione, & sine virilis admixtionis detrimento Christum suscepit, & sine dolore genuit: & sine integritatis violatione, pudore virginis integro permansit. Christus autem mortem suscepit spontanea voluntate, ut pro nobis satisfaceret, non quasi ex necessitate illius sententie: quia in se mortis debitor non erat.

Ad secundum dicendum, quod sicut Christus moriendo destruxit mortem nostram, ita suo dolore nos a doloribus liberavit, & ideo mori voluit cum dolore. Sed dolor parientis matris non pertinebat ad Christum, qui pro peccatis nostris satisfacere veniebat, & ideo non oportuit quod mater eius pateret cum dolore.

Ad tert.

Maternitas, & filiationis in Virgine, & Christo semper durant.